



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 48. Joannes Ægidius Concionator pari supplicio mulctatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

in vincula fuisse conjectum intelligens, ille, inquebat, *hæreticus ingens erit, si hæreticum ipsum fuisse apparebit*: his verbis autem significare voluit Cæsar, quod Pontius insignis plane hypocrita fuerit, si adeo scite pietatem simulare, & hæresin occultare valuit. Cum ergo Inquisitores illum utpote jamjam defunctum rogi supplicio e medio tollere haud potuerint, ejus quasi concionantis effigiem adduci, eamque cuidam cathedræ imponi jusserunt, ita, ut hæc effigies Constantinum exhiberet, quatenus dexteram paulo elevatam, lævam vero eidem suggestui innixam teneret. Hoc spectaculum primo plerisque adstantium lacrimas extorserat, quas vero mox risus excipiebat, ac denique straminea hæc effigies Concionatoris speciem exhibens indignationem excitabat.

§. XLVIII.

Joannes Ægidius Concionator pari supplicio multatus.

Eodem insuper modo plectebatur celebris quidam Hispalensis Præco nomine Joannes Ægidius, quem præpora mors vivum Inquisitionis severitati invadebat. Hic olim a Carolo V. ad Dertosanum Episcopatum nominabatur, non sine magna Inquisitorum indignatione,

Sæc. XVI.
A.C. 1559.

Thuan. l. c.
Hist. des
Martyr l. 3.
fol 505. edit.
1582.

Sæcul. XVI.
A.C. 1559.

quapropter hi, ut illum ab hujus dignitatis possessione arcerent (*), diu, acriterque adversus eum actionem intendebant, ea autem nondum absoluta Ægidius fati cesserat: nihilominus fidei Censores ejus cadaver in jus vocant, eumque, licet jamjam vivis ereptus esset, ad mortem condemnant, atque illum tanquam per machinam excitatum in straminea effigie populo ad spectaculum sistunt, & sententiam in illum pronuntiatam exequentur.

§. XLIX.

Bartholomæus Caranza ob hæresis crimen carceri datus.

Thuan. l. c.
Spond. hoc
ann n. 29.
Pallav. l. 14.
c. 11. n. 4.

Sequenti mense Octobri eadem poenarum severitate cum aliis de eodem crimine accusatis apud Pinciam Vallem actum est; ibi enim spectante Philippo Rege

(*) Quod Ægidius ab Inquisitoribus ideo fuerit carceri mancipatus, ut illum, ne Episcopatum consequeretur, præpedirent, id a Continuatore mere in Inquisitionis odium confectum fuit, cum ipse Thuanus, l. c. quamvis hæreticos excusare studeat, magis tamen ingenue fateatur, quod Ægidius hæresis postulator, ac Dominici a Soto hortatu publico errorem suum recantaverit.